Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

PHTHISI GASTRICA,

QVAM,

ELIFICANTE NUMINE DIVINO, GRATIOSA FACULTATE MEDICA IN HAC PERANTIQUA HIERANA INDULGENTE,

SUB PRÆSIDIO

SPECTABILISSIMI DNI DECANI ET SENIORIS,

ON. D. JOHANNIS ANDREÆ FISCHERI,

ONSILIARII ET ARCHIATRI ELECT. MOGUNTIN. PATHOL. ET PRAX. PROFESS. PUBL. ORDIN. NEC NON MEDICI PROVINC. DUCAL. ISENAC.

ATRONI, PROMOTORIS ET HOSPITIS SUI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

UMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI

SUBMITTET

RESPONDENS

JOH. ALBERTUS ERHARD,

ALTENBURGO MISNICUS.

AD DIEM XXX. JUNII ANNI MDCCXIX.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,

HORIS CONSVETIS.

RFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

21

PRÆMONENDA.

ELegantiſſima ſapientiſſimi Senis noſtri eſt comparatio illa, quam *lib. de Nat. hom.* inter ventriculum & mare macrocoſmicum inſtituit, quod nempe ſicut mare dat omnibus & accipit âb omnibus; ita & ventriculus toti corpori porrigat alimentum, atque viciſſim nanciſcatur fluidum nobile charactere vitali omnium partium ſigillatum, atque chylificandi poteſtate præditum: ita quidem, ut ex alimentis aſſumptis cuilibet animantium ſpeciei convenientes particulas alibiles elicere queat. Ex quo ventriculi dignitas maximè elucet, ſecundum quam jure meritoque partibus publicis in inſtitutionibus medicis accenſetur, ex cujus integritate & conſtitutione laudabili omnium functionum naturalium integritas partiumque nutritio continua tantum non unicè dependet. Quapropter viri in arte ſacrâ celeberrimi ſemper ventriculi miniſterium magni fecere, exemplo Hel-

montii in ſuo Duumviratus jure, Svvalvvii in ſuis querelis ventriculi, Wedelii, aſſerentis multum intereſſe ventriculum ſemper in morbis habere propitium. Experientia adſtipulatur, quâ conſtat, ventriculo benè ſe habente & rore nutritio corpus perfundente, cuncta exiſtere vivida, vegeta, alacria, ipſo autem malè conſtituto membra torpeſcere, languere, flacceſcere, totamque corporis compagem ſæpenumero contabeſcere atque conſumi, id quod in phthiſi gaſtricâ ad oculum patet. Atque hæc materia digna mihi viſa eſt, quæ Diſſertationis Inauguralis thema conſtitueret, raritate ejus animum alliciente. Etenim nemo ferè hactenùs, ſi unicum Mortonium excipias, de phthiſi in ventriculo quærenda fuit ſolicitus; licet & is ipſe hanc rem ſolummodo tractaverit perfunctoriè. Ut igitur ſucceſſus reſpondeat voto, & nova hypotheſis applauſum promereatur, & ad emolumentum proximi vergat ſupremi Numinis humilimè imploro auxilium, nec non L. B. æquum judicium exopto.

Thes. I.

EQuidem quid ſibi velit nomen phthiſis, neminem latere puto, qui vel primis tantum labris deguſtavit artem Medicam, quid, quod & hujus vocabuli ſignificatio in vulgus quoque eſt notiſſima, unde non eſt, quod pluribus inhæream conceptui ejus etymologico, græcamque vocis originem afferam, quod quidem Scalig. *exercitat. 48. Sect. 4.* ad eruendam veritatem videtur neceſſarium, quis enim neſcit, quod phthiſis ſit â φθέω vel φθίω conſumo, vel φθίνω conſumor, tabeſco, deficio, adeoque contabeſcentiam ſive marasmum partium corporis carnoſarum, muſculo-

culoſarum ſignificet: id tamen conſideratu dignius exiſtit, quod contra receptam opinionem, hoc vooabulum conſumptionem corporis absque ulcere pulmonum aut alterius cujusdam partis quandoque denotet, quemadmodum ex frequentiſſima infantum atrophia, ſcorbuticorum phthiſi, & maraſmo ſenili probatur evidentiſſimè. Quod porro vocabulum gaſter ſive γαςὴρ concernit, undè quædam phthiſis appellatur gaſtrica, de illo notandum puto, id in foro anatomico phyſiologico interdum totum denotare abdomen, interdum uterum, interdum verò & quidem frequentius ſolum ventriculum; quam ſignificationem & mihi in præſentiarum vendico.

Thes. II.

Videlicet ille affectus, qui aliàs ſub nomine marasmi ſive tabis â ventriculo, hecticæ in latiori ſenſu, atrophiæ univerſalis, phthiſeos ſymptomaticæ ex inanitione, phthiſeos â venoſo genere, Medicis venire ſolet, & germanicè die Schwindſucht aus den Maagen / item: die Auszehrung von Mangel des Nahrung-Saffts / appellatur, eſt conſumptio lenta partium corporis muſculoſarum & fibroſarum ſine febri, â ſubtractione ſucci nntritii per chylificationem ventriculi vel planè abolitam vel imminutam ex caloris menſtruive digeſtorii vitio aut ipſius viſceris atonia, inducta, originem trahens.

Thes. III.

Formalitatem phthiſeos generatim & ſpeciatim conſideratæ in conſumptione & contabeſcentia habitus corporis conſiſtere, eſt aſſertum in communi medicorum conſenſu & ipſo ſenſuum teſtimonio fundatum, utcunque obſervatio Bartholini *Hiſtor. anat. 14. Cent. 2.* contrarium evincere videatur, ubi phthiſeos ſine extenuatione corporis, ſolitis tamen ſymptomatibus ſtipatæ in juvene 26. annorum, mentionem facit, in quo habitum corporis carnoſiorem potius indies factum, non ſine admiratione refert, duas hujus phænomeni rationes

afferens, alteram â naturalium viſcerum optima conſtitutione atque ſic nutrimenti copioſi ſubminiſtratione, alteram â firmiore ſubſtantiæ fibroſæ & muſculoſæ conſiſtentia diſſolutioni phthiſicæ reſiſtenti, deducens. Verum cum extraordinaria eaque rariſſima nec regulam ponant, nec exceptionem â regula ſubminiſtrent, præterea ſymptomata phthiſeos communia in caſu allegato obſervata, potiori jure ad evacuationem criticam materiæ purulentæ â pleuritide prægreſsâ ſubortæ referenda ſint: ideoque manebit firmiſſimum, nullam exiſtere phthiſin revera talem, quam corporis conſumptio non comitetur.

Thes. IV.

Quemadmodum verò partium ſolidarum formatio in utero materno, earundemque tam intra quam extra illum accretio ſive incrementum notabili temporis latitudine & ſucceſſivè contingunt, ſecus ac partium fluidarum, quæ, ſub certo tamen reſpectu, protinus generantur & brevi temporis ſpatio ad ſui augmentum adſpirant: ita quoque prædictarum partium decrementum ſive extenuatio â cauſis internis orta cum notabili temporis intercapedine fieri debet, adeoque conſumptio lenta obſervatur, undè etiam ejusmodi partium morbi communiter ferè ſolent eſſe chronici. Hinc nullum datur exemplum maraſmi ſubitò orti, aut brevi ad interitum terminantis; cum econtra ingens exemplorum copia ſuppetat, ubi ſpiritus in momento exſpiravere, fluidave corporis paucos intra dies, quin imo paucas intra horas, v. g. in hæmorrhagiis, diarrhæis, diabete, ſudoribus colliquativis aliisque, fuere conſumpta.

Thes. V.

Et quia memorata habitus corporis extenuatio nudam ſolummodo particularum alibilium, nunc vitio ventriculi âb aſſumptis non ſeparatarum, nunc cum excrementitiis inuti-

libus

libus contra inſtitutum naturæ per alvum violenter exturbatarum, ſubtractionem diuturnam ſequitur, minimè vero acrimoniam quandam acidam aut ſalino muriaticam, caloremve quendam igneum ſubſtantiam corporis depaſcentem, cauſam agnoſcit, neque præternaturalem ſanguinis effervescentiam conjunctam habet: ratio in promptu eſt, quare phthiſis gaſtrica ſine febre exuſtere ſoleat. Etenim licet in progreſſu mali quandoque invaleat deſiderium potûs, cutis exareſcat appareatque velut calore exuſta, interdum quoque frequentia quædam animadvertatur in pulſu, id tamen ad ſtatum febrilem in hoc caſu probandum non ſufficit; quippe aliud eſt incaleſcere â præternaturali fermentatione, aliud ab exinanitione: areſieri â calore humidum depaſcente, & â rore alimentario deficiente. Taceo in diarrhœa ſimplici enormiore aut longiore pariter augeri ſitim, abſente utcunque febre, & pulſum ſub ſtatu febrili potius celerem quam frequentem, qualis etiam certis animi paſſionibus exagitatis familiaris eſſe ſolet, exiſtere.

Thes. VI.

Locus in quo nidulatur phthiſis gaſtrica potiſſimum eſt habitus corporis quoad partes muſculoſas & fibroſas, focus â quo transmittitur ventriculus exiſtit: illæ ſubjectum mali adæquatum; hic ſubjectum cauſæ conſtituit. Quapropter hæc noſtra phthiſeos ſpecies non eſt confundenda cum ea âb obſtructione venæ cavæ propè cor orta, quam in cadavere phthiſici Lugduni obſervatam tradit Bartholinus *l. c. Hiſtor. 35.* quippè quæ ad polypum cordis propius accedit, quamvis non negaverim deficientibus particulis oleoſo gelatinoſis chyli ſanguinem tandem ſpiſſiorem reddi & ad circulationem promptam ineptum, quod vero non niſi radicata jam in habitu corporis phthiſi fieri poteſt, imo ratio deficit, qui fiat, in aliis venoſi generis obſtructionibus non obſervari ſtatum corporis phthiſicum. Quod vero prælaudatus Author, & cum ipſo Morton *phthiſiolog. l. 1. cap. 2.* aſſerit, phthiſin quamcun-

cunque demum in phthiſin pulmonalem terminari, id quidem negare nolo, modo in phthiſi gaſtricâ ſupponatur, pulmones non tam exulcerari, quam exſiccatos corrugari atque ſic ad explicationem âb aere inſtituendam reddi incapaces, quo pacto & dyſpnœa & tuſſis ſicca affligere quandoque poteſt phthiſi gaſtricâ laborantes. Et hoc idem mihi anſam ſuppeditat differentiæ illius phthiſeos mentionem faciendi, qua ea in originalem & ſymptomaticam dividitur, quarum illa â morboſa diatheſi ſanguinis, vel ſpirituum animalium in genere nervoſo & fibroſo hoſpitantium ſine morbo viſceris partisve alicujus præcedente: hæc vero âb aliis præcedentibus morbis hanc labem ſpiritibus & humoribus imprimentibus, originem trahere ſtatuitur. Ad quam poſteriorem ſpeciem phthiſis quoque gaſtrica eapropter venit referenda, quoniam prægreſſam ventriculi diatheſin morboſam reſpicit.

Thes. VII.

Ea vero minime quærenda eſt in ſtatu quodam ventriculi aut habitus corporis ulceroſo maſſam ſanguineam conſpurcante chylumque usque adeo defœdante, ut ineptus evadat ad partes ſolidas nutriendas, ejusque aſſimulationem corporis animati ſpiritus perhorreſcant, id quod tamen âb Auctoribus quam plurimis promiſcue in phthiſi aſſeritur, putantibus, phthiſin in ſuo conceptu formali exulcerationem antea in corporis parte quadam exiſtentem involuere: quod quidem & phyſiologiæ Medicæ & experientiæ clinicæ repugnat. Etenim phthiſis nil niſi extremam corporis maciem â cauſa quacunque orta; Phthoë autem marcorem incurabilia pulmonum ulcera in ſequentem philologis Medicis ſignificat. Sic poſt ſectiones phthiſi demortuorum quam plures nihil exulcerati, nihil purulenti in pulmonibus reliquisve viſceribus fuiſſe repertum Barthol. *l, c. Cent. 2. Hiſtor. 76. Centur. 3. Hiſtor. 2. teſtatur.*

Thes.

Thes. IIX.

Exindè nunc ſequitur phthiſin gaſtricam, de quâ inpræſentiarum ſermo eſt, non tam in conſumptione ſtrictè dictâ, quam in extenuatione & marasmo partium muſculoſarum & fibroſarum âb inſigni ventriculi proſtratione orta, conſiſtere, quatenus conſumptio preſſius accepta ſubſtantiæ deperditionem arroſionis & colliquationis interventu factam denotat, quæ in phthiſi gaſtrica non obſervatur, ſed tantummodo fibræ molliores, ſucci plenæ, turgidiusculæ, rore nutritio circumfuſo in nutritionem & augmentationem propriam abſumpto, alteriusque affluxu denegato, rigescunt, concidunt, ſqualent, priſtinamque dimenſionem amittunt, quo facto macies & extenuatio præſtò eſt. Nec obſtat huic ſententiæ Mortonii judicium, quando *l. c. cap. 2.* dicit, maſſam ſanguineam ſucco nutritio & oleoſo privatam aceſcere nimiumque incaleſcere, ideoque nutritionem nullam partibus muſculoſis præbere, unde atrophia totius corporis & calor hecticus in toto habitu fixus ſequatur: hoc enim pacto omnis tabes & marasmus hecticam febrem haberet conjunctam, & fermentatio vinoſa, quæ tamen in regnum animale citra præſentiam acidi formalis in primis viis reperibilis non eſt, in maſſa ſanguinea exiſteret.

Thes. IX.

Ex quibus nunc ſua ſpontè fluit affectus noſtri âb aliis phthiſeos ſpeciebus differentia, partim â diverſitate ſubjecti, partim â differentia cauſæ, partim â ſymptomatum diſcrepantia deſumenda. Nempè in hoc affectu ventriculus laborat principaliter ejusque dyſcraſiam habitus corporis luit: hìc partes ſolidæ marceſcunt & indurantur nutrimento debito defraudatæ: nulla febricula urget, nulla diſpnœa angit, nec eſt moleſta tuſſis: non agrypnia, non ſudores colliquativi noctes reddunt laborioſas: non qualitas ſanguinis aut chyli

corroſiva acris, ſed ſubſtantialis defectus corpus conſumit: non denique diarrhœa colliquativa, non ſuffocatio, ſed ſyncope cardiaca vitæ filum abrumpit.

Thes. X.

Igitur nullum eſt dubium ſubtractionem ſucci nutritii in producendo hoc affectu primas tenere, æque ac in regno vegetabili plantarum incrementa â ſucco vegetabili quacunque ratione deperdito, denegato aut intercepto, deficere videmus, folia flacceſcere, caulem exareſcere, emori radices: id quod in ſpecie animata & in affectu ſuppoſito ſolius ventriculi culpa eſt. Is enim cum reliquis viſceribus chylificationi inſervientibus terram, chylus ſuccum vegetantem, partium ſolidarum fibrillæ radices, tubuli arterioſi, venoſi, glanduloſi, atque pororum tractus vegetabilium nutrimentum in longum & latum ſpargentes ductus æmulantur. Quod ſi ergo contingat, hoc viſcus laborare intemperie frigidâ, ſuaque privari virtute tonicâ, primum βραδυπεψία, poſt δυσπεψία, tum ἀπεψία, denum lienteria oriri ſolet, ſub quo ſtatu digeſtio ventriculi ſenſim imminuitur, tandemque aboletur, undè non poteſt non chylus provenire crudior, & ad nutritionem ineptus, vel alimenta nullam mutationem paſſa adeoque indigeſta ex corpore jam per ſuperiora, jam per inferiora denuò eliminantur, peculiarem quandam vel diarrhœæ vel choleræ humidæ ſpeciem repræſentantia.

Thes. XI.

Prædictam ventriculi morboſam diſpoſitionem atque ad vitaliter digerendos cibos ineptitudinem antecedenter efficiunt calor digeſtorius deficiens, menſtruum iners, organique flacciditas. Scilicet quemadmodum in extractionibus chymicis liquore extrahente, calore extractionem maturante, & vaſe idoneo rem extrahendam continente opus eſt: ita in extractionibus naturalibus in regno animali fieri ſolitis calor

lor vividus, fermentum activum, & ventriculus robuſtus requiruntur, uno vel altero horum deficiente, de chylificatione & nutritione pariter actum eſt.

Thes. XII.

Et quidem calor iſte non eſt aculeatus, non exſiccans & ſiccus, non violentus & ebullitiones excitans, atque ſic nec abſolutè coctorius, nec elixatorius, ſed blandus, lenis, humidus & humectans, diſſolvens, mediæ & ſolidæ conſiſtentiæ alimenta fluidiora reddens, verbo, calori balnei Mariæ ſimilis. Atque is ipſe partim in ventriculo generatur, partim ex vicinia ſubminiſtratur, quandoquidem in ſe ad chylificationis negotium, propter ventriculi nativam, reſpectivam tamen, frigiditatem, ſubſtantiæ membraneo carnoſæ, perindè ac in utero & veſica âb Anatomicis inter viſcera frigidiora collocata, familiarem, habetur inſufficiens. Unde & ſanæ rationi quam maximè eſt conveniens, & autopſia confirmatur, partim â liquore nerveo ſpiritu animali turgido, partim âb arteriarum gaſtricarum fluido vaporoſo exhalante illum provenire, atque âb hepate, liene, omento & peritonæo ſuſtentari, ita ut moleculas aſſumptorum ſolidiores ſenſim eliquare & fundere poſſit.

Thes. XIII.

In quo negotio ſociam navat operam liquor gaſtricus, non ſolum vehiculi particularum alibilium, ſed menſtrui quoque vices ad ſeparationem utilium âb inutilibus neceſſarii præſtans, cujus activitas in ſale acido volatili, ſive â ſpiritibus alcohol vini referentibus ad mirificam usque temperiem, pro varietate temperamenti tamen reſpectivam, dulcificato, conſiſtit, undè ratione ſubſtantiæ ſalinæ poros alimentorum penetrandi, particulas nutritioni animali ſpeciei aptas ſolvendi ſolutasque intra ſuos porulos ſuſcipiendi

virtute pollet, cumprimis calore ventriculi attenuatus ſubtiliorque redditus.

Thes. XIV.

Tandem & peculiare robur in ventriculo nutritioni corporis famulante adſit neceſſe eſt, ſecundum quod contenta arctius complecti, intimius fovere motuque conquasſatorio ſubigere & ſolidiora atterere valeat, ut illorum moles ſenſim imminuatur ac novæ figuræ conditionem ſubeat. Ad quod feliciter præſtandum datæ ſunt ventriculo plicæ illæ in tunica interiore conſpicuæ, alimenti congeriem provide coercentes, ne ejus ramenta intempeſtivè diffluant, atque beneficio fibrarum carnoſarum mediæ tunicæ agitatæ per blandos villorum papillarium itus ac reditus ſenſim fricant & confricant: qui ſtatus ventriculi ἐυτονία vocatur.

Thes. XV.

Igitur quidquid calorem digeſtorium deſtruere, efficaciam menſtrui infringere & ventriculi tonum enervare poteſt, phthiſi gaſtricæ occaſionem ſubminiſtrabit promptiſſimam. Quo pertinent ex rerum nonnaturalium cenſu temperamenta plegmaticum & melancholicum ad intemperiem inclinantia: ex rebus præternaturalibus morbi ipſius ventriculi prægreſſi eſſentiales vel ſympathici v. g. â febribus ſive acutis inflammatoriis viſcerum adjacentium ſive intermittentibus orti, nec non adhuc affligentes βραδυπεπσία, δυσπεπσία, απεπσία, lienteria & ſuo modo paſſio cœliaca: ex rebus nonnaturalibus aer frigidus & humidus, alimenta cruda, viſcida, flatulenta, frigidæ potus nimius, diuturnus, quin & calorem ventriculi ſuffocans vini ſpiritus, vinumque quodvis generoſum jejuno hauſtum ventriculo, polyphagia, ſomnus & quies immoderata, hæmorrhagiæ naturales modum excedentes, mœror, iracundia & exercitium venereum vel ultra

mo-

modum vel tempore incongruo, prima & ſecunda digeſtione nondum finitâ, inſtitutum.

Thes. XVI.

Etſi verò phthiſeos gaſtricæ conditio quoad periculum phthiſi pulmonali aliisque âb exulceratione quadam ortis ſtatumque hecticum ſtricte ſumptum comitem habentibus, cedit, quin & curatu deprehenditur facilior: attamen ſi illa â morbo quodam magno & maligno originem cœperit, lienteriam diuturnam agnoſcat auctorem, tonus ventriculi penitus fuerit proſtratus, aut macies extrema urgeat; peſſima utique formanda erit prognoſis. Ad quam evitandam conſultum duco, ut in tempore intemperies frigida ventriculi corrigatur: calor deficiens reſuſcitetur: menſtruum iners exacuatur: & ventriculus languidus roboretur. Ad quod obtinendum remediis alterantibus, calefacientibus, incidentibus, adſtringentibus & roborantibus tonicis diæteticis pharmaceuticis & chirurgicis opus eſt.

Thes. XVII.

Expectationi reſpondebunt ex regno vegetabili plantæ nervinæ aromaticæ & ſubadſtringentes ſtomachicæ vulgò appellatæ, & inter has cumprimis calamus aromaticus, mentha, meliſſa, roſæ, abſynthium ponticum, cum pipere, Zingibere, nuce moſchata, citro atque cydoniis: Ex regno minerali corallia polychreſta, ambra, vitriolata, ex ſale communi uſitata & nitrata ſulphureis aromaticisve combinata, imo vel ſola cum circumſpectione medica, tam in quam externè applicata. Quibus ex foro chirurgico partium extenuatarum frictiones matutinæ & veſpertinæ, primum leniores, poſt validiores, linteis calefactis & gummi reſinis ſuaveolentibus fumigatis, inſtitutæ, ut & emplaſtra, cataplasmata & fomenta balſamica adſtringentia cum opiatis inſi-

gnem hoc modo virtutem roborandi habentibus nec non linimenta nervina & aquæ ſpirituoſæ ventriculo applicandæ, ſuper addi poterunt, ſequentem in modum:

℞. Conſerv. roſar. ⊕lat.
menth.
abſynth. pont. ana ℥ß.
Condit. cydon.
nuc. moſch.
cort. citr. ana ʒij.
Pulv. ſtomach. Quercet. c. Corall. R. loco
Oc. ♋. parat. ʒj.
gran. maſtich.
oliban. ana ℈j.
Syrup. de Cinam. q. ſ. ad conſiſt. Elect. M. D. S. täglich 3. mahl 2. ſtarcke Meſſerſpitzen zu nehmen.

℞. Elixir. ⊕l. Mynſ.
propr. ſ. ✠d. ana ʒiß.
Ω rosar. ambrat. ℈j.
TR. laudan. cydon. ℈ß.
ꝏ cariophyll. gtj.

M. D. S. Alle mahl 1. ſtund vor der Mahlzeit 30. Tr. mit etwas warmer Brůhe zu nehmen.

Quod ſi Diarrhœa l. Lienteria urgeat, calorque aut ſitis augeri videatur, Arcanum dupl. imo & Nitr. depurat. ad ℈ß. c. ▽. menth. ſ. v. Cinam. Cyd. Theriacal. ſimpl. ſimilive ſtomachica aromatica, quam utiliſſime horis medicis propinabitur, ut & ſequens Mixtura polychreſta:

℞. TR. Corall. Ωu Panis extr.
c. Ω. ♉. Cerv. ℥ß.
∀ Catech. ʒij.

Ω Maſti-

♌ Maſtichin. c. ⊖le ♀ri parat. ℈j.
Laud. Liquid. Londinens. ℈ß.
M. D. S. Täglich 3. mahl 50. Tr. c. ▽. Plantag. & Menth. S. V.

℞. ⚭ Expreſſ. ſem. plantag.
coct. cydon. ana ℥ß.
♌ maſtich. ℈j.
Croc. Orient.
Op. Thebaic. ana ℈ß.
M. F. Liniment. D. S. täglich 2. mahl den Maagen und Unterleib wohl warm damit zu ſtreichen.

℞. Raſ. L. Aloës.
Succin. flav.
Oliban.
Maſtich.
G. Carann. ana ʒj.
Pulveriſat. M. D. S. Sonderbahres Räucher-Pulver, mit leinenen Tüchern aufzufangen, wormit die Glieder zu ſtreichen.

Thes. XIIX.

Inſuper ad ſtatum phthiſicum emendandum Thermæ aluminoſæ, viribus nondum usque adeò proſtratis, macieve extrema præſente, aliàs v. balnea ▽ dulcis tepida ſerpillo & junipero roborata, convenient, tempore matutino & pomeridiano hora quarta, citra ſudoris profuſionem inſtituenda, ventriculi madefactionem cavendo, qua ratione via denuo parabitur rori chyloſo, quò ad partes emaciatas pertingere queat.

Thes.

Theſ. XIX.

Plura ex ſale volatili oleoſo, elixirio redivivo Helmontii, ſpiritu ſalis dulci atque theriacalibus addere impræſentiarum ſuperſedeo, quemadmodum nec vomitoria directè hîc indicantur. Cœterum D. T. O. M. pro præſtita mihi hactenus gratia & in ſtudio Medico benedictione humillimas ago grates, cui ſit laus honor & gloria in ſempiterna ſecula.

TANTUM.